



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Sect. j. Quotuplex sit Logica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

10 Philosophiæ Peripateticæ Liber I.

bitis, neque directi in facto esse, neque directiva, A
est obiectum Logica; sola operatio recta in fieri,
sua faciendâ est tale obiectum. Probatum est ha-
ctenus, illas operationes non esse Logica ob-
iectum: ergo sola hoc habet operatio directa in
fieri.

Prima ob-
iectio.

Obiicitur primò: illud est obiectum scientiæ,
quod primò & per se intenditur à tali scientia, quo
posito ponitur, & per quod assequitur formaliter
suum finem: operatio recta in facto esse huius-
modi est, nam illam intendit sine dubio Logica
primò & per se, illa posita ponitur Logica, &
per eam Logica suum proprium finem assequi-
tur: ergo Logica obiectum est operatio recta in
facto esse.

Resp. distinguendo maiorem: obiectum illud B
est in scientiis practicis, quod primò & per se in-
tenditur, &c. si sit aliquid in facto esse, negatur;
si sit in fieri, concedo. Illud enim quod scientia
primò & per se intendit, si sumatur prout iam fa-
ctum, est obiectum scientiæ speculatiue, non est
obiectum scientiæ practice, sed illud idem prout
est in fieri. Idem ad alia respondeo, quo posito po-
nitur scientia, per quod assequitur formaliter
suum finem.

Instantia.

Instantis: in practicis finis & obiectum idem
sunt: sed Logica finis est operatio recta in facto
esse: ergo illa est obiectum eius.

Resp. obiectum practicum posse considerari vel
in fieri, vel in facto esse, unde distinguitur maior, C
in practicis obiectum & finis in fieri sunt idem,
concedo: obiectum & finis in facto esse idem sunt,
nego. Finis autem in facto esse ipsius Logica ope-
ratio est recta, sed non est finis in fieri, unde nec
est obiectum eius.

Secunda
obiectio.

Obiicitur secundò: illud non est obiectum pra-
cticum, quod non est aliquid operabile: sed ope-
ratio, quæ debet fieri recta non est aliquid ope-
rabile: ergo non est obiectum practicum. Probatum
minor, illud non est aliquid operabile, quod
supponitur in operationibus ante quamcunque
considerationem logicam: sed operationes suppo-
nuntur debere fieri rectæ ante quamcunque con-
siderationem logicam: ergo non sunt aliquid
operabile.

Resp. debitum rectitudinis, aliud esse proxi-
mum, aliud remotum. Proximum est illud quo ope-
rationes dicuntur fieri rectæ in fieri, remotum est
illud quo dicuntur exigere ut fiant rectæ, & hoc
non est aliquid operabile in operationibus men-
tis; debitum autem proximum est aliquid operabi-
le, & est obiectum Logica: distinguitur ergo mi-
nor, operationes supponuntur debere fieri rectæ
ante quamcunque considerationem logicam, sup-
ponuntur debere remotè, concedo; debere proxi-
mè, nego.

Tertia ob-
iectio.

Obiicitur tertio: quando Logica dormit habet
verè Logicam, cuius aliquod est obiectum: sed
tunc nulla est operatio in fieri: ergo obiectum Lo-
gica non est operatio in fieri.

Resp. per operationem in fieri me intelligere
operationem, quæ fit recta quando erumpit in
actum operatio habitualis. Quando ergo dormit
Logica, & Logica habitualis non erumpit in
actum, tunc etiam operatio recta in fieri est ob-
iectum Logica, idest operatio, quæ fit recta dum
Logica in actum erumpit.

QVÆSTIO II.

De habitu Logica.

EXposui hactenus obiectum proprium huius
disciplinæ, quo continetur eius differentia,
ex eius autem notitia facillimè colligitur tota illius
natura & proprietates: cum enim habitus intel-
lectus, qui vocantur virtutes, quinque à Philoso-
pho numerentur, intellectus, sapientia, scientia,
prudentia, & ars, meritò queritur ad quem ex ha-
bitibus illis Logica pertineat, quæ sine dubio ve-
rum semper infallibiliter attingit, atque aded vir-
tus est intellectualis: constat verò illam non esse
intellectum, quæ habitus est primorum principio-
rum; nec sapientiam, quæ sola est Metaphysica,
nec prudentiam, quæ solos actus voluntatis diri-
git; superest ut illa non sit nisi vel ars, vel scientia.
Hoc ergo ut iudicari rectè possit, quatuor video
necessaria: primò qualis sit Logica diuisio in Do-
centem & Vttem: secundò an illa sit scientia:
tertiò an sit practica, an speculativa: quartò an sit
ad alias acquirendas scientias necessaria.

Virtutes in-
tellectuales.

SECTIO I.

Quotplex sit Logica.

CERTum est primò tripliciter diuidi solere Logi-
cam. Primò in naturalem, & artificiosam: se-
cundò in actualem & habitualement, tertio in do-
centem & vttem. Logica naturalis est ipsemet
intellectus quo apprehendimus, iudicamus, dis-
currimus: seu ipsum lumen naturale dictans quo-
modo discurrendum sit, quis syllogismus sit re-
ctus. Artificialis est disciplina quadam qua in-
struitur intellectus ad exercendas rectè suas ope-
rationes, & qua ipsæ operationes diriguntur. Et hæc
diuiditur in actualem, quæ actus est intellectus
quo scimus quomodo definiendum, enuncian-
dum, argumentandum sit: & habitualement, quæ
est qualitas producta in intellectu per tales actus,
& promptum reddens ad eos facillè repetendos. So-
letque communiter diuidi in docentem & vttem,
de qua sola diuisione hic disputatur.

Triplex Lo-
gica diuisio.

Certum enim secundò est multipliciter à Docto-
ribus explicari hanc diuisionem; primò enim illi
omnes qui ponunt præcepta esse obiectum Logi-
cæ, volunt Logicam Docentem illam esse, quæ tra-
dit præcepta, & ideam rectæ operationis: Vttem
esse alias omnes scientias, quatenus vtuntur Logica
præceptis. Secundò alij cum Fonseca volunt totam
Logicam esse docentem, solam autem partem illam,
quæ topica est vocari vttem. Tertio communius
dicitur totam Logicam esse docentem, & totam esse
vttem, sub duplici respectu. Pro qua sententia
omnino vera

Triplex ex-
plicatio Lo-
gica docen-
tis & vtten-
tis.

Dico primò, Logicam docentem esse totam Logi-
cam, quatenus in genere tradit modum ratiocinan-
di, nulli certæ materiæ illum applicans; & eandem
totam esse vttem quatenus huiusmodi præcepta
certæ alicui materiæ aliarum scientiarum applicat.
Ita post S. Thomam opusculo 70. q. 6. art. 1. & Sco-
tum quæst. 1. in prædicamentis, docent Sotus, Tolerus,
& alij communis: hoc autem antequam probem.

Obsèrva reperiri duo in qualibet demonstratio-
ne, materiam videlicet & formam: materia est id, de
quo fit demonstratio, ut homo, Angelus, &c. quo-
rum

Quilibet
demonstra-
tio duo
continet.

Disp. I. Quæst. II. de Habitu Logicæ. 11

rum aliqua demonstratur proprietates, forma seu artificium est dispositio recta terminorum, ita ut sequatur conclusio. Quælibet verò demonstratio secundum materiam pertinet ad propriam scientiam, secundum artificium pertinet ad Logicam, quæ tunc vocatur vtens, quando formam artificiosam tribuit operationi alicui aliarum scientiarum. Habes ergo Logicam docentem cum dicis generatim v.g. syllogismum constare debere tribus terminis sic, vel sic dispositis: cum verò actu rem quampiam definimus, aut aliquem conficimus syllogismum, habemus Logicam vtentem.

Prima probatio.

Ratio ergo assertionis est primò, quia illa est Logica vtens quæ dat facilitatem ad operandum: tota Logica hoc facit, non autem alie scientiæ, vel pars tantum aliqua Logicæ: ergo tota Logica est vtens, non autem alie scientiæ, vel pars vna Logicæ. Probatur minor, impossibile est ut aliqua scientia practica tradat modum operandi, & non det facilitatem ad operandum: sed tota Logica quatenus docens præcepta, tradit modum operandi: ergo tota Logica dat facilitatem ad operandum, ergo eadem tota Logica est vtens & docens.

Secunda probatio.

Secundò, si alie scientiæ prout Logica vtuntur, essent Logica vtens, non esset bona Logica diuisio in vtentem & docentem, quam tamen omnes approbant veteres & noui Philosophi. Probatur hoc sequi. Ad bonam diuisionem exigitur, ut membra diuisoria contineantur in toto diuiso, sed si Logica vtens sint alie scientiæ, non continebuntur in ipsa Logica: ergo male Logica diuidetur in docentem, & vtentem, quæ non est Logica; sicut substantia male diuideretur in substantiam & accedens.

Prima obiectio.

Obiicitur primò. Hic actus, [Definitio est oratio explicans naturam rei,] vel pertinet ad Logicam docentem, vel ad Logicam vtentem: ad neutram pertinet: ergo illa non est bona diuisio. Primò enim non pertinet ad docentem, quia est exercitium definitionis, definit enim quid sit definitio; Logica autem docens non elicit illos actus. Non ad vtentem, Logica enim vtens supponit Logicam docentem: iste autem actus cum supponatur esse omnium primus, nihil supponit. Deinde si actus iste pertineret ad Logicam vtentem, esset reflexus supra se ipsum, quod est impossibile: ergo illa diuisio non est bona.

Resp. Logicam vtentem esse illam, quæ applicat præcepta certæ materiæ pertinenti ad alias scientias, unde dico hunc actum, [Definitio est oratio explicans naturam rei,] pertinere ad Logicam docentem, quia non est exercitium præcepti applicatum materiæ aliarum scientiarum. Logica ergo docens elicit multos actus, qui sunt præcepta, sed non elicit actus quos applicet materiæ aliarum scientiarum.

Secunda obiectio.

Obiicitur secundò, si Logica vtens esset ipse habitus Logicæ, alie scientiæ non essent ratiocinatiuæ, sicut non essent scientiæ. Si enim vna scientia efficeret omnes demonstrationes, illa sola sine dubio esset scientia.

Resp. distinguendo, si Logica vtens esset ipse habitus Logicæ, alie scientiæ non essent perfectæ ratiocinatiuæ, nec perfectæ scientiæ sine Logica artificiali, concedo; non essent imperfectæ ratiocinatiuæ scientiæ sine Logica illa artificiali, cum præsidio tamen Logicæ naturalis, nego. Neque hinc sequitur quod sola Logica sit perfecta scientia, sed tantum quod sine Logica nulla est perfecta scientia, quia illa instrumentum est vniuersale omnium scientiarum, sicut Deus est causa prima omnium effectuum. Deinde verum est, quod si vna scientia ef-

ficit omnes definitiones & demonstrationes secundum materiam & formam, vna est tantum scientia: si autem vna efficit secundum formam differens, alie secundum materiam, nego vnâ tantum esse scientiam.

Obiicitur tertio. Habitus non concurret nisi ad proprios actus, sed actus aliarum scientiarum non sunt proprii Logicæ: ergo habitus Logicæ ad illos non concurret.

Tertia obiectio.

Resp. distinguendo minorem, actus aliarum scientiarum non sunt proprii Logicæ secundum materiam, concedo; secundum formam artificiosam, nego.

Logica tota est vnus habitus.

Dico secundò Logicam vtentem & Logicam docentem vnicum realiter esse habitum, duos autem formaliter inter se distinctos, secundum duo diuersa munera & duas formalitates distinctas, tradendi præcepta, & illis vtendi.

Ratio eadem illa est, quam nuper attuli, quia scilicet nullus habitus practicus tradere potest modum operandi, quin inclinet ad operandum, Logica vt est docens docet modum operandi: ergo illa eadem inclinat ad operandum, quod est esse Logicam vtentem. A priori esse potest ratio, quia vnus habitus inclinat ad actum vniuersalem & ad actum particularem sub eo contentum, quod facillima inductione probari potest.

Probatio.

Obiicitur primò. Illi habitus sunt distincti, quorum actus sunt distincti: sed actus Logicæ vtentis distinguuntur ab actibus Logicæ docentis, ut ex dictis patet: ergo habitus etiam sunt distincti.

Prima obiectio.

Resp. distinguendo maiorem, illi habitus sunt distincti realiter quorum actus sunt distincti, nego: illi habitus sunt distincti formaliter, concedo; fateor enim Logicam vt est docens, distinguere formaliter à Logica prout est vtens, quia (vt dixi) vnus habitus duo habet munera, ratione vnius est Logica docens, ratione alterius est Logica vtens.

Obiicitur secundò. Toties multiplex est realiter habitus, quoties adest noua difficultas superanda, vt patebit ex dicendis infra de habitibus: sed cum sciuntur præcepta, superest noua difficultas illis vtendi, sicut non quisquis scit præcepta saltandi, vel citharizandi, potest saltare vel citharizare.

Secunda obiectio.

Resp. verum esse quod vbi est noua difficultas insuperabilis per priorem habitum, toties nouus habitus requiritur: sed nego eam qui nouit præcepta recte discurrendi, pati posse nouam vllam difficultatem in eorum vfu, cum vfu pendeat ab eadem potentia quæ nouit præcepta: in quo est discrimen saltationis & citharizationis; præcepta enim pendunt à cognitione intellectus, saltatio verò pender à pedibus, citharizatio à digitis, in quibus requiritur nouus habitus.

Obiicitur tertio. Præcepta de virtutibus tradit scientia Ethica, quæ prudentia est: Temperantia verò & alie virtutes illis vtuntur: ergo etiam à pari vnus est habitus Logicæ, qui tradit præcepta discurrendi, alter qui illis vtitur.

Tertia obiectio.

Resp. negando consequentiam, disparitas enim est, quia pro virtutibus duplex difficultas est, scire quid agendum sit, & agere, cum pendeat ab indeterminatione duplicis potentie; quod non valet pro præceptis Logicæ ac eorum vfu.

SECTIO II.

Verum Logica sit scientia: an verò sit ars.

Certum est primò, scientiam proprie dictam esse cognitionem rei certam & euidentem, habitum per discursum, vt patebit ex disp. 5. Constat autem ex ea definitione

Scientia quid exigat.